Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 669
Quelle:
Copyright:

in patria 1194. de quo plura *Oudinus* T. II. c. 1297. *Fabricius* a *J. Dom. Mansio* subpletus L. II. p. 304. et *Mazzuchellius Scritt. d'Italia Vol.* II. P. 3. p. 1768. Post illum castigatius et latinius opus nostrum vertit *Jac. Faber Stapul.* tum *Jac. Billius*, cujus versionem a *Franc. Combefisio* limatam repraesentavit sodalis ejus *Mich. Lequien* T. I. *supracit.* p. 123. praefixo *Prologo*, in quo nullam se veteris versionis nostrae editionem reperisse ait, secutas vero *Fabri*, *Billiique* enumerat. Ultima L. IV. sunt: *uidentes ipsum et uisi indeficiens id quod ab ipso est gaudium fructificantes. Explicit damacenus.* Redit Opus *Cod.* CCXXXVIII.

III. *fol.* 164. *Elementarium Dam.* sive ut secunda rubrica: *Introductio docmatum elementaris. a uoce* (i. e. dictata) *sancti Johannis damasceni ad iohannem sanctissimum episcopum laodicie.* Incipit: *In nomine patris et filij et spiritus sancti unius trisypostate et adorate deitatis* &c. Definit: *que et ipsa possumus et opposita ipsis.* Extat Opusculum adversus *Monophysitas*, *Monothelitas*, *Nestorianos*que directum, et in X. Capita tributum ex versione *Joach. Perionii* O. S. B. a *Lequienio* emendata T. *cit.* p. 513. Nostra autem Versio eidem *Burgundioni*, qui praecedens Opus traduxit, adscribenda videtur, quod etiam in *Codd. Angliae* conjuncta inveniantur, ut fidem facit *Edw. Bernardi Catalogus* et ex eo *Oudinus suprac.*

IV. *fol.* 166. Ejusdem *De hys que in christo duabus uoluntatibus et operacionibus et reliquis naturalibus proprietatibus, et compendio* (ἐξ ἐπιθεομνς) *de duabus naturis et una ypostasi.* Initium: *Qui duas naturas et unam ypostasin in domino nostro ihesu christo confitentur* &c. Finis: *semper cum ipso esse. et frui ipsius gloria et regno nunc et semper et in secula* &c. Opusculum istud adversus eosdem Haereticos tendens nobis indivisum decurrit, interprete verisimiliter eodem *Burgundione. Perionii* versionem adoptavit *Lequienius* T. *cit.* p. 529.

V. *fol.* 174. p. 2. Ejusdem *Liber de Haeresibus*, interprete, ut videtur, eodem *Burgundione;* quae enim in edit. *Lequienii* T. I. p. 76. legitur traductio, *Joach. Perionii* est, a *Front. Ducaeo*, *J. B. Cottelerio*, ipsoque *Lequienio* castigata et suppleta. Liber nobis ab Elencho incipit, cui titulus: *Pinax. i. tabula centum heresum;* neque enim in multis *Codd.* plures habentur, sed tres, quatuorve post *Mohammedicam* a *Johanne* additas nullus dubitat *Lequienius*, cujus praeviam *Admonitionem* vide. Initium: *Omnium heresum matres et primitiue. quatuor. Prima. barbarismus. Secunda. scithismus. Tercia. grecismus. Quarta. iudaismus ex quibus omnes alie pululauerunt* &c. Primus hanc versionem e Mss. protulit *Henr. Gravius* O. P. in edit. *Opp. Johannis Dam. Coloniae* 1546. p. 234. f. uti et *Altercationem Christiani et Sarraceni* p. 253. quae

nostro